

/ Ill/mis et R/mis DD.Episcopis, Presbyteris et Diaconibus S/tae
Romanae Ecclesiae Cardinalibus.

2358

Ill/mi et R/mi D'ni

Pauli Quinti Pontificis maximi improvisus obitus nobis Ill/marum
5 et R/marum DD.VV. litteris nuntiatus, ut Ecclesiam Dei optimo Prae-
sule viduavit: ita nos prae caeteris ineffabili moerore replevit.
Verum, cum immutabili lege a summo rerum opifice statutum sit, nos
omnes mortales esse, et in hoc saeculo, quasi transeuntes, brevi tem-
pore morari; prudentis animi est, jacturam hanc aequae ferre, illiusque
10 voluntati conformari, qui cuncta suaviter disponit et a cujus nutu
honeste dissentire nec possumus nec debemus. Accedat, quod si vitae
puritatem, animi prudentiam, et mansuetudinem pietatem denique et
sanctitatem, quibus eminenter claruit, spectemus: pro certo habere
debemus, eum inter caelestis aulae principes translatus, beatifica il-
15 lius visione potiri, cujus meruit gerere vices in terris. Quod reli-
quum est (Patres amplissimi) quibus Dominici gregis summi Pastoris,
Spiritu sancto afflante, credita est electio, eum seligere curate,
qui evocati Pontificis vices, et tanti ponderis molem, in temporibus
hisce in hoc rerum discrimine (Deo dante) sustinere valeat. Interim
20 omnipotenti Deo preces ex corde fundimus, ut in medio vestrum sit,
et ad ea, quae sui nominis honor, christianaeque Reipublicae quies ex-
postulant, voluntates vestras dirigere dignetur: et Ill/mas et R/mas
DD.VV. diu incolumes servare, eisque fausta cuncta concedere. Genua
tertio Nonas Februarii MDCXXI.

25 Ill/marum et R/marum DD. VV.

Ser/res Dedit/mi

Dux et Guber/res